

30  
21  
37  
37


GOTHOFRIDI PUTSHERI,  
Lipsiensis

de  
PRIVATO MARIS DOMINIO

ORATIO

recitata  
in Alma Leucorea

d. X. Decembr,  
1654.



WITTEBERGÆ,  
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

a. MDCCL. 37.

Coll. diss. A  
91, 37

21

OTTAVIDIO

1711

OTTAVIDIO

OTTAVIDIO



RECTOR  
ACADEMIÆ VVITTEBER-  
GENSIS,  
ANDREAS KUNA-  
DIUS SS. THEOL. DOCTOR,  
& Prof. P. Consistorij Ecclesiastici Assessor, &  
Electoralium Alumnorum Ephorus,

*CIVIBVS ACADEMICIS S. D.*

**D**E maris conditione, utrumne illud commune, & in quod nemini proprium competat jus, an ejus naturæ sit, ut occupantis imperio subjici queat, duo summi hujus seculi viri, HUGO GROTIUS, & JOHANNES SELDENUS editis eruditissimis libris inter se contenderunt. Nam cum Hispaniarum & Lusitaniæ Reges Batavos, & omnes externas gentes excluderent Indiarum commerciis, vique vellent arcere, in mare illud, & Regiones juxta sitas, proprium sibi vindicaturi jus; opposuit excellentissimi ingenij copias GROTIUS, nihilque hujus modi neque in mare omnibus patens, neque in Indias ipsas ullo competere titulo, peculiari volumine, quod abs re **MARE LIBRUM** inscripsit, asserere conatus

A 2 est. jam

est. Jam cum superioribus annis Batavi in illis partibus maris, quas suas esse dicebant Angli, hanc instituisent capturas, ut si, quod ait Poeta,

*Usus communis aquarum*

esset, non distulit propugnare patriæ jura, quasi aliud agens, SELDENUS, & contra libertatem maris styli expedire aciem, pro suâ approbaturus virili, non ita apertum omnibus esse ac patens mare, ut claudi non possit, & occupari dominio, quam ob causam & titulum scripto, CLAUSUM MARE, fecit. In neutro libro neque rationum gravitatem, nec variæ reconditæque eruditionis desideres copiam: ut auctor uterque præclaram atque eximiam operam Civibus suis videatur navasse. Uter eorum vicerit tamen, & obstinuerit causam, pronunciare ac definire, nec instituti nostri est, & in præfati haud vacat. Longa & operosa disputatio est: nec explicari obiter, & tralatitia opera potest. Sed pro SELDENI partibus elegantis politiç; ingenij Juvenis GOTHOFRIDUS PUTSHERUS Lipsiensis Orationem conscripsit domi, quam postea finitis Sacris pomeridianis accepta à nobis hac venia recitaturus ex memoria publice est in Acroaterio majore. Potest prolixum auscultationis favorem impetrare à vobis, &

bis, & argumenti dignitas, & ipsa orationis com-  
positio atq; scriptura, neq; inculta, neq; inele-  
gans, & quæ non difficillimis auribus se facile  
probet. Adest itaq; ac demonstare, quid  
tribuatis his declamandi exercitationibus: qui-  
bus nihil utilius ad comparandam eloquenti-  
am est, quæ, si Euripidi credimus;

---

*Flexanima omnium*

*Regina rerum, quæ dat inserere alteri*

*Quod ipse sentis, & quod optes consequi.*

P. P. d. X. Decembr. anno recuperatæ gratiæ  
cb l c LIV.

**I**n abstrusam, Auditores, & sub multis fabularum tegumentis latitantem veterum Poëtarum sapientiam nos abscondimus; si rebus gestis refertissimos quorundam Scriptorum, quos tam Ethnica, quam nostra extulere secula, thesauros perlustramus; tantopere de pristina rerum communione ab illis defendi sententiam apparet, ut plane res omnis omnium usui promiscuo patuisse, proprietate penitus exclusâ, dicatur. Non certis quibusdam limitibus primævam antiquitatem divisisse agros, non positis terminis signasse campos, non divitiarum inclusisse pondera: sed iter cunctis pervium, cunctis ad fruges opumque; aliarum penû patuisse adiutum, nihilque proprii tunc temporis cuidam fuisse, veluti unum omnibus esset patrimonium, firmissima eorum est sententia. Sed quâ vanitate hæc ex arrogantis nimis nonnullorum cerebellò prognata scateat opinio, nisi quis fortassis vulgarem illam de communi omnium bonorum usu famam ad felicissimum hominis in Paradisò statum referre velit, vis ipsa verborum in sacris contentorum paginis fateri cogit. Quas si accuratiori inspicimus oculo, eam, quam nobis obtrudunt, communionem neutiqvam cognovisse priscos, sed per singulare quoddam ipsius Numinis donum statim sub prima machinæ hujus incunabula totam Adamo rerum universitatem ita cessisse, ut ipse hanc insolidum haberet propriam, haut obscure possumus colligere. Privata enim hæc rerum dominia non demum post horrendam totius terrarum fabricæ in undationem sua habuisse primordia, sed multis retrò seculis statim à primâ orbis infantia primisque;

primisque;

primisq; Adami temporibus juris fuisse receptissimi,  
adeoq; post editam generi humano stragem à Noachò  
restaurata fuisse, nullus quin asseram dubito. Nam  
per illam divinæ donationis formulam illud sacratis-  
simum mentis sempiternæ Numen Adamum univer-  
salem universi hujus dominum ita constituit, ut om-  
nes reliquos, si qui fuissent, quin imò ipsos quoq; li-  
beros, quamdiu intra patrios degebant Lares, à facul-  
tatibus, quas possidebat, excluderet. Adamum verò  
singulari paternæ <sup>στοργῆς</sup> propensione impulsus pecu-  
liari quodam privilegio, vel qualicunq; permissione  
ipsis tandem, antequam Eï mortuo jure succedere  
poterant hæreditariò, assignasse peculia, privatiq; ju-  
re imperii distincta territoria concessisse, à verò non  
est alienum. Non tam enim summus ille mundi  
conditor totius telluris gubernationem Adamo, tan-  
quam omnem ex se nascituram posteritatem repræ-  
sentanti, quam hominì cuidam unico hæc tradidit ra-  
tione, ut & ipsam circumfluentis totam terrarum  
orbem oceani jurisdictionem nullò excluderet mo-  
dò. De quâ cum mihi ab iis, quorum autoritas plu-  
rimum apud me valet, differendi provincia sit de-  
mandata; non ut de eâ verbis ad oratorum leges com-  
positis accuratoq; tractationis delectu dicerem, sed  
ut, quid humeri ferre, & quid recusare possent, ex-  
plorarem: non ineptè, aut præter rem facturus mihi  
videor, si per levem semihorulæ moram, quòd ma-  
re non solum privatæ dominationis capax sit, sed  
quòd istius privatam possessionem à primis, statim  
temporibus Gentes sibi vendicaverint, declararem.  
Quod dum facere aggredior, à vobis, Auditores, eâ  
quâ par est, submissione contendo, ut meæ carinæ  
tantâ

tantâ ingenii caligine in hoc vastissimò hujus materiæ oceanò hinc inde titubantis cursum dirigatis, quò portum, quem sibi proposuit, sub vestri favoris, ceu saluberrimæ cujusdam Cynosuræ influxu, eò tutius faciliusq; consequatur.

Nihil sanè solidi, Auditores, subesse perspicio, cur vasto, & quod terram undiqvaq; non secus ac una ex duabus natura sit conflata, alluit, pelago, æqvè ac telluri privatam posse gubernationem competere, nonnulli vanis rationibus, cœcoq; erga patriam amore adducti inficientur. Tantum enim abest, ut immensa hæc fluviorum aquarumve omnium colluvies justas, quibus in continente privatæ diæceses conceduntur, leges dedignetur; ut contra tum magistra rerum experientia tum ipsa maris indoles, tum, quò Numen Protoplastis hoc universum tradidit, modus è diametro, quod dicitur, repugnet. Non ad sola infimi hujus spatii, in quò tanquam maximè naturali loco, ob insigne gravitatis pondus, terra quiescit, gubernacula homines admisit; non humi solam utendi fruendiq; dedit potestatem: sed parilem maris atq; terræ, veluti unum unius constituentium globi ambitum, rationem habuit, expressaq; usus fructus donatione ipsam rem, quæ sub eâ continebatur, mortalibus concedidit Numen: Quin imò ejusmodi utitur vocabulis, quæ hoc moderamen non invertebant, nedum ipsi contrariabantur; sed in futurâ rerum distributione parem horum conditionem posse attendi, utraque, quod dicitur, manu largiebantur. Et, quantumvis latitantes maris in obscurò causas animi sagacitate perpendamus, & in ejusdem adyta nos penetremus intimius, nequicquam tamen erit, quod huic vel ob  
fluxum



fluxum ejus perpetuum, vel ob minus idoneam terminorum finiumq; distinctionem, vel ob inexhaustam abundantiam reclamet. Quid amabo prohibet, quò minus flumina omnium ferè gentium, quarum mores cognitos habemus atq; perspectos, consensu possint obtineri? Obstatne fluxilis illorum indoles, quæ ad pelagus collata adeò in declive fertur, ut exinde fretum illi Geographorum Coryphæo immobile dicatur? Sed quid flumina? Nonne minora maria? Quid maria? Nonne fluvii, lacusve à reliquis quantitate tantummodo discrepantes? Sanè si aquarum ista congeries re ipsâ, nomine, naturave respondet fluminibus, nihilq; aliud est, quàm aqua latiore & profundiore contenta solummodo alveo, quis quæso diffitebitur, idem etiam ullo pacto posse sub ditionem cadere? Ea enim partium quæ invicem appellatione consensioneq; quadam naturali tacitè conspirant, est ratio, ut unius ejusdemq; sint naturæ, & cujuscunq; vel minima ejus portio sit particeps, de eò totum illud, quod ex ejusmodi componitur minimis, participet.

Sed concedamus istis perpetuæ maris communioni mirè patrocinantibus, latum illud æqvor sic esse variabile, ut succedentibus aliis atq; aliis fluctibus in quævis momenta commutetur, omnemq; limitum respuat aptitudinem: ne quicquam tamen adversatur, quò minus ad privatam jurisdictionem sit accommodatum. Quemadmodum aër mea ambiens ædificia, quam vis continuo fluctuet, ita tamen meis annumeratur bonis, ut reliquis de ædibus tollendis alitius & lumine prospectuq; officiundò jure meo possim interdicare: ita quoq; sempiternus aquarum flu-

B

or nul-

or nullam possessioni injiciet remoram. Etenim  
quò velociori cursu aliquid diripitur, eò quoque ad ac-  
ceptandam inhabitationem est ineptius; quod, & tam  
in æthera, quàm ipsum mare congrueret, nisi horum,  
quæ nocte dieque omni quiete fugatâ infestantur, si  
prudentiæ civilis commensurantur modulò, aliena  
prorsus esset facies. Ut enim fluida, maximeque fu-  
gientia naturali quodam impulsu in nullo fixa possint  
esse loco, sibique invicem subsequentes perpetuò vari-  
entur; tamen civiliter sic manent eadem, ut ipsa ad-  
stipulante justitiâ possideri possint justè. Quoties aër  
circa nemora circumfusus pro variâ spirituum sedes  
has inhabitantium diversitate variat? Jam Zephyrus  
levi susurrò agitât suprema arborum cacumina. Jam  
Boreas sylvam movet flatibus: jam Eurus eam concu-  
tit, semperque aër alius alium insequitur, nec tamen  
hilum domini, quod Principi competit, decedit. Ci-  
viliter ipsius est aër, nihilque reluctante fluidâ ejus na-  
turâ adeò liberè illo fruitur, ut alios in sibi assignatò  
territorio pro libitu ab accipiò, aliisque insidiis, quas  
homines avibus ea inhabitantibus moliuntur, abar-  
ceat, ipseque unicus agnoscat possessor. Frustra igitur  
sunt ii, qui propter mobilem maris genium ei-  
dem denegant administrationem: frustra ii, qui præ-  
conceptis opinionibus excæcati apta eidem confinia  
pernegant. Quid enim hoc aliud, quàm clarissimis  
ipsius Spiritûs Sancti verbis contradicere? Quid aliud  
quàm experientiæ se se opponere, apertoque sole aper-  
tis oculis cœcutire? Mare circumdedi terminis meis,  
& vectem posui, & ostia, & dixi, usque huc venies, &  
non procedes amplius, verba sunt ipsius Domini Hio-  
bum in maximis constitutum miseriis, & à regiò Sa-  
pientiæ

pienciae deflectentem tramite alloquentis. Littori-  
bus à summo hujus machinae Architecto terminata  
sunt maria, finibusq; ideò distincta, ut, quousq; maxi-  
mus à mari proveniat fluctus, quousq; aestuet & excur-  
rat nobis sint indicio. Sinuosus flexibus mare & tel-  
lus se vicissim amplexantur, Peninsulis, & in oras usq;  
superas tendentibus scopulis obsita, gratam sibi na-  
vant operam, inq; distribuendis principatibus mutu-  
as praestant manus. Jam sinus commoda istius tra-  
ctus suppeditat confinia: Jam itidem Insulae porrecta-  
q; promontoria exoptata ponendorum potestatis  
marinae finium signa nobis praebent. Quoties enim sa-  
cratissima divinarum Literarum Oracula marium non  
ut partis assignatae, sed ut cujusdam termini mentio-  
nem injiciunt? In vetusta illa, quam summus Israëli-  
tarum Dux & DEUS Moyse praescribebat, Palestinae de-  
signatione Australis plaga contra Orientem ad maris  
falsissimi extremitatem producebatur. Plaga Occi-  
dentalis à mari magnò initium capiebat, ipsoq; sine  
claudebatur: Septentrionalis per mare magnum;  
Orientalis verò tam per maris Cinereth littus, quam  
per Iordanem, exitumq; falsi maris circum scribeba-  
tur. Ex quibus sole meridianò patescunt clarius mu-  
tua consortia, quae per quandam reciprocationem  
non mare solum terris, sed terra quoq; sublimesq;  
rupium editarum summitates maribus conferunt.  
Hinc etiam infœdere à Romanis & Antiocho Syriae  
Rege initò Legati Calycandrum Saperdoniumq; Ci-  
liciae promontoria terminos ad discriminandam ma-  
rinae ditionis potestatem constituerunt, prohibentes,  
ne citra illa navigarent, extraquam, siqua navis pecu-  
niam, stipendium, aut Legatos, aut obsides portaret.

Quos Arhenienses devictis Artaxerxis Longimanni  
Persarum Imperatoris copiis navalibus cum Persis  
ineuntes pactum, quò ne intra Insulas Cyaneas & Che-  
lidonias longam navem vel rostratam haberent, iis  
injungebatur, sunt imitati. Non enim omnis ocea-  
nus ita vel eminentibus saxis, vel hinc inde dispersis  
insulis est destitutus, ut nullâ ratione rigores linea-  
rum, versaræ, Agrimensoribus usitatæ possint desu-  
mi. Sed tanta scopulorum conspicienda traditur  
frequentia ut propter nimiam horum affluentiam  
inhospitum quodam modo, vel horridum iis videat-  
ur, qui vel ad exercendas negotiationes, vel ad exo-  
ticas regiones perlustrandum fragili rati vitam opesq;  
concredunt. Quot ibi reperiuntur insulæ? quot  
horrenda saxorum in æqvora pendentium fastigia?  
Non vadosa tantummodo æqvora, quiq; in gremiis  
ipsius terræ continentur portus ad recipiendam juris-  
dictionis marinæ determinationem sunt habiles; sed  
ipse, quantum quantum est, oceanus, ubi, ut cum Poëtâ  
loquar, cœlum undiq; & undiq; pontus, eam mini-  
me recusat. Quamvis namq; vel palis, vel aliis in  
usus navigantium collocatis vestigiis in profundò in-  
festòq; pelagò facilis terminorum distributio fieri  
non possit; præsens tamen ex illius inventi egregii,  
pyxidis nauticæ, graduum poli, ipsaq; Triangulorum  
doctrinà remedium. Nam iis etiam, quo usq; unius  
vel alterius in salò sese extendat potestas commodè  
potest investigari; & si nautis ad dirigendos cursus per  
tot innumeras viarum ambages infinitaq; itinerum  
divergia inserviunt, quid, quò minus ad discriminan-  
das possessionis causas valeant, retardabit? Attendite  
modo, Auditores, colonias, nostro etiam ævò in il-  
lam om-

Iam omni amœnitate fertilitateq; fertilissimam regionem Americam deductas, utpote in quibus latitudinis longitudinisq; gradus possessoribus sunt termini; & me non vanâ quâdam opinione vos circumvenisse concesseritis. Anno post exoptatissimum Virginis Deiparæ partum MDCVIII fœdus quoddam inter fœderatos Belgicæ ordines & Austriacos pangebatur. Ut itaq; suum cuiq; tribueretur, Tropicus Cancrî metâ constituti regiminis ipsis erat. Quin, cum illa orbi decantatissima impetraretur bulla, quâ totus Occidentior tractus Catholico Hispaniarum Regi dono tradebatur, de ponendô hac ratione gubernationis scopô Alexander VI. purpuratiq; Curia Pontificalis Patres nullo dubii fuerunt modo.

Videtis exinde, Auditores, assertionis meæ veritatem, quæ non ex rei ipsius aptitudine tantum, sed ipsâ exemplorum multitudine satis superq; radiat, neq; ambigo, quin, si quæ in recessu adhuc latitant perceperitis, mihi pro eâ, quâ præditi estis, humanitate vestrum adjiciatis calculum. Tantum enim abest, ut ea, quæ jurati privata possessionis hostes de immensa maris abundantia infinitaq; magnitudine nobis obtrudunt, tanti æstimentur, ut contra ea vel ad infringendam proprietatem ne quicquam faciant, vel tantam veritatis speciem, quantum præ se ferunt, non habeant. Quid copiosissima rei sufficientia privato reclamat usui? Nihil sane. Detur mare commoditatibus omnium esse sufficiens, adeo, ut qui sibi privatim illud adscripserit, nihil incommodi ex aliorum promiscuo fructu capiat: sed quid hoc ad pernegandam moderaminis privati commoditatem? Anne candela, quæ aliorum quàm plurium luminibus accenden-

B 3

dis inser-

dis infervit, proprietatis detrectat jura? Anne is minus candelæ suæ dominus? Sed hæc & ejus farinæ alia non ejusmodi sunt nodi Gordii, ut ad eorum structuram ret exendam multò labore, & Alexandrino, quod dicitur, opus sit gladio, cum nec tanta maris sit capacitas, ut ex communi usurpatione nihil ei accedat detrimenti. Quòd si verò quis meam veritati non conformem esse sententiam frivole nimis atq; arroganter arbitraretur, sciolam hac in re exferens mentem attendat modò, commodum hoc pacto, quod ex ipsius fructibus, margaritis puta, coralliisque sperandum, parvò temporis intervallo ita minui, ut inexhaustum mare tandem facili negotio exhauriretur. Hæcne proluxa pelagi superfluitas?

Sed meis obversatur auribus omnimodi maris communioni addictissimorum quorundam musfatio, qui ob liberum mercatoribus, & qui ea petunt loca peregrinis transitum, & propter propullulata sæpius ex hoc recusato bella, mare omnem rejicere proprietatem sibi ipsis fingentes somnia, fabulantur. Quid enim hoc ad privata æqvoris gubernacula? Invertitne ea? Neutiquam. Humanitatis quidem, singularisq;, quò peregrinos prosequi tenemur hospites, amoris exigunt officia, ut illos nostris excipiamus hospitibus, iisque nisi gravissimis adducti causis, innoxium non abnegemus transitum. Verùm quid hoc ad ipsius rei, vel regionis, per quam instituendum iter mercatoribus, dominium? Nihil sanè minus reluctatur proprietati, quàm hoc ipsum; nihil minus splendorem opinioni eorum afferre satis erit, quàm hoc ipsum; nihil minus communionem stabilire poterit, quàm hoc ipsum. Feruntur extra oleas, immaniq;  
saltu

saltu septa transiliunt; diverticula nimirum quaerunt,  
& subventanea sepeperisse olfacientes à juris scopò in  
charitatis disquisitionem mirà transeunt celeritate.  
Iuste ob prohibita commercia Megarenses Athenien-  
sibus, Bononienses Venetis, Hispanos occidentalis In-  
diæ incolis indixisse bella, modò non ex quodam fœ-  
dere ista mercium penderet libertas, facillimè pos-  
semus negare, nisi à nostrò hoc esset sejunctum pro-  
positò. Sancto itaque hæc tales proprietatis debellato-  
res involvant silentio, siquidem non ipsa solum nobis  
hæc dictitat ratio, sed accinunt rerum gestarum histo-  
riæ, quas, si accuratiori perlustramus oculò, ab incu-  
nabulis quosdam maris moderationem sibi vindicaf-  
se constabit.

Possem vero confestim ab ipsò Poëtarum seculo  
ordiri, & in tam apertò patentiq; campò longiùs ex-  
currere, rejectisque nugis, quibus in fabulosò ævò si-  
bi vulgus imponi sinebat, rem ipsam, quam in larvatâ  
illà facie proponebant, enucleare, & ex eadem aliisq;  
regnis & rebus publ., quæ aliquot abhinc retrò seculis  
periere, summam dominationis marinæ antiquita-  
tem declarare, nisi vestra, ut receptui canerem, ad-  
moneret tacitè Benevolentia. Non igitur multis  
verborum ambagibus de Minois vetustissimi Creten-  
sium Regis inhabitatione maris Aegèi dicam: non  
Lydos, non Pelasgos, non Thraces, non Rhodios,  
non Phryges freti memorabo cultores: non de Cypri-  
is, Phœnicibus, Ægyptiis, Milesiis, Caribus, Phocæen-  
sibus, Corinthiis, Ionibus, Naxiis, Eretriensibus,  
Æginetis, aliisque illustrioribus quondam in Oriente  
Gentibus verba faciam. Quod Lacedæmoniis, quòd  
Atheni-

Atheniensibus decumani æqvoris fluctus sub ditio-  
nem venerint: quòd Spinetæ fuerint *θαλασσοκράτορες*:  
quòd Tyrrheni, quòd Carthaginenses obtinuerint in  
mari fasces: quòd alii denique in Occidente populi ei-  
dem imperaverint, sicco præteream pede, si priùs  
paucis de Romanæ, aliarumque Rerumpubl. mori-  
bus dixerò. Prodeat itaque victor ille Regum popu-  
lus, qui arma sua longè lateque circumtulit; prodeat,  
luculentumque amplissimarum laudum præconem,  
Dionysium Halicarnasseum exaudiat: Universi maris,  
dicentem, domina est Roma, non solum illius, quòd  
intra Herculis columnas habetur, verùm & ipsius  
Oceani, quicunque est navigabilis. Neque hoc impe-  
rium ad publicum Senatùs patrimonium modò  
spectabat; sed privatis quoque hominibus, urbibus,  
villisque illud indultu Principum permittebatur,  
id quòd ex potestatis, ac fluvii, marisque adjacentis  
dominii concessione à Trojanò Imperatore urbi  
Tharso factà fit evidentius. Conspicienda sese præ-  
beat amplissima Venetorum Respubl: quis ipsius  
marinam potestatem in dubium revocat? Ita mare  
Adriaticum ipsi est proprium, ut navigantes impedi-  
re, ad vectigalia compellere, aliosque pro libitu ab-  
arcere jure queat comprobato. Quorsum enim fre-  
quentes Principum, Radulphi Comitis Salensis, Fri-  
derici Cæsaris, Matthiæ Regis Hungariæ innoxii tran-  
sitùs petitiones? Quorsum ille ad perpetuandam ma-  
ris gubernationem quotannis susceptus per annulum  
desponsationis ritus? Ad declarandum perpetuum  
pelagi dominium hæc suscipi quis ibit inficias? Quis  
Genuensibus Ligusticum, Tuscis Tyrrhenum, Ro-  
mano Pontifici mare, ut vocitant, Ecclesiæ inhabi-  
tantibus



tantibus maris derogare potestatem conabitur?  
Quid Lusitaniæ, Hispaniarumq; Reges compello?  
Quid multum Danos, Svecos, Norvvegos, Polonos,  
Turcas nuncupo? Cur Anglos profero, quippe qui  
à remotissimis per omnem ætatem seculis, in hæc  
continenter tempora perpetuâ occupatione hoc  
occuparunt?

Vestræ, Auditores Honoratissimi, accuratiori  
censuræ has discutiendas, quas injecere tragulas  
committo; vestro perspicatiori iudicio has relinqvo.  
Annon ex eâ, quam illi defendunt mordicis com-  
munionem multa orirentur mala? Non sanè amplius  
Saturnia habemus tempora, quibus collectis in diem  
glandibus quisq; vescebatur. Pacata illa aufuge-  
runt secula, quibus omnium rerum plena erat tran-  
quillitas: evasit aureum illud ævum, quò nondum  
avaritia hominum occupaverat animos, & nullus ar-  
morum sæviebat furor. Non Justitiæ, quam è ter-  
ris avolasse penitus, ætheraq; petiisse cum maximò  
damnò sæpius experimur, jam amplius inserviunt  
homines, sed livoris agitati stimulis ad rem adeò  
sunt intenti, ut unicè commodo studeant privato.  
Quod si itaq; communis pelagi esset usurpatio,  
rixis, internecionibus, clandestinis civilibusq; bel-  
lis, dirumpendoq; civilis amicitia vinculo aperire-  
tur fenestra, relaxtaq; ejusmodi Pandoræ pyxide  
omne malorum genus terram hanc repleret. Ex  
his enim interfecti Draconis dentibus magna ho-  
minum armatorum progigneretur turba, qui do-  
mesticâ confligentes acie se ipsos non sine levi tam  
corporum, quam facultatum jacturâ è mediò rursus  
tollerent.

C

Rece-

Recedant igitur ii, qui nobis hac in parte obstre-  
pere pertentabant, sibiq; certam de nobis pollice-  
bantur victoriam. Valeant ii, qui de fluxili nimis  
oceanis naturâ tripudiantes, de sufficientissimâ om-  
nibus mortalibus abundantia gloriantes, deq; liberi  
transitus concessione exultantes certos sibi somnia-  
bantur triumphos. Tanta namq; tormenta eorum  
non erant, ut iis visis, ceu Medusæo quodam capite  
in saxa converteremur. Tanti arietes non erant,  
ut muri nostri iis concuterentur. Sed abeant,  
persvadeant alios, nos, ut iis affocie-  
mur, nunquam permittemus.





**L**ibera Naturæ Genius lata æqvora fecit,  
Idem hominem ut voluit spontis &  
esse suæ:

At simul hic cepit leges & condere regna,  
Iniecit pariter vincula & ipse mari.

Nec clausit penitus, nec promiscè omnibus  
undas,

Et certâ voluit lege patere Thetin.

Hoc PUTSCHERE doces, & Regum jura  
tueris,

Ingenij felix nec minus ore potens.

O quàm te memorem dignum, quem illustria  
sceptra,

Quem dives foveat Principum & ornet  
amor!

AUGUSTUS BUCHNERUS PP.  
& Academiae Senior.


Ad

DN. GOTHFRIDUM Pu-  
tscherum, Lipsensem, de Mari Clauso publicè  
perorantem, Commensalem meum  
dilectum,

**D**E clauso pelago magnâ cum laude lo-  
quentem  
Te coràm vidi, Putscher Amice,  
libens.

Egregios mores laudo, laudoq; labores,  
Facundas lingvas, ingeniumq; bonum.  
Non dubito, charus si Frater vixerit olim,  
Quin possis summi juris honore frui.

Michaël VVendelerus D.  
& P.P.



*Coll. diss. A. 91, misc. 37*